



Patris qualitas cognoscitur in diurna genitura à Sole. In nocturna uero à Saturno, sed tam in nocte quàm in die à parte patris & domino eius, & ambobus parentibus à quarta domo & eius domino. In re autem matris in diurna genitura filij, aspicitur à Venere, & in nocturna à Luna, & tam in diurna quàm nocturna à parte matris & eius domino. Si igitur inueneris in quarta domo stellas fortunatas, & dominos eorum in angulis uel succedentibus, & bene dispositos, sine aspectu infortunarum, iudica parentum esse laudabile ac bonum. Quod si in cadentibus fuerint, aut infortunati, aut fuerint in quarta domo infortunatae, Vel domini locorum praedictorum ab infortunis male affecti, uel in malis locis, iudica parentes in miseriam deuenturos, & haec omnia secundum eorum fortitudinem & debilitatem pensando, & pro mensura geniturae.

Almuten patris trahitur ex his significatoribus patris, scilicet à	}	Cuspide quartae domus	}	Si Almuten super haec loca concordauerit cum Ascendente, uel eius domino, erit concordia inter patrem & natum.
		Domino eius		
		Consignificatore quartae domus, qui est Sol		
		Domino eius		
		Primo domino triplicitatis quartae domus		
		Parte patris		
		Domino eius.		

Si Almuten dictorum locorum à Marte impeditus fuerit in diurna genitura, aut à Saturno in nocturna per tetragenum uel oppositum, sine aspectu fortunarum, & absq; receptione, grauissimum erit, & si ipse impediens fuerit dominus ascendens, uel Almuten super ascendens, fortasse natus interficiet patrem.

Almuten matris ex trahitur à	}	Cuspide decimae domus	}	Si Almuten super haec loca cum Ascendente concordauerit, uel cum domino eius, erit concordia inter matrem & natum.
		Domino eius		
		Consignificatore matris scilicet		
		Parte matris (Venere)		
		Domino eius.		

Dirige Almuten patris & matris ad fortunas & infortunas pro accidentibus eorum.

Sol in loco laudabili, & domini triplicitatis eius in locis malis, dic tempore natiuitatis filij, patrem eius bene fortunatum fore, sed postea uenturum in miseriam.

Sol in malo loco hora natalis, & domini triplicitatis eius in laudabili loco & boni esse, dic patrem natalis hora, male dispositum, sed postea magis prosperos successus habiturum.

Idem fiet iudicium de matre, sumpto iudicio à Luna & Venere.

Sol in meliori statu quàm Luna, patrē nobiliorem matre significat, & econtra, Sol cum capite draconis, Luna in quarta domo, dat nobilitatem patri, & nato modicam uitam.

Sol & Luna coniuncti in quarta, parentibus malam minantur mortem. Sol aut Iupiter in quarta significant patris magnitudinem. Idem si quartam domum aspexerit.

Si Sol & Iupiter in locis deiectis fuerint, pariter uel diuisim, & unus in duodecima, alter in sexta, dic patrem nati fuisse seruum.

Sol & Saturnus in cadentibus, aduersas patris ualeudines, & eius debilitatem ostendunt.

Sol & Saturnus in cardine uel eius tetragono, dic patrem nati humore aqueo uel ueneno periturum, aut profluente subito catharro.

Sol